



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De duobus mendicis, in hospitali eius Parisiis aegrota[n]tibus, quos de
confessione monuit, cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

quam in tanto periculo, vt opinor, inuocauerat, Priore vocari fecit, cui omnia sua peccata, meritis beatæ Mariæ virginis adjutus, plenè ac deuotè confitens, & vt eadem Abbati, qui tunc præsens non erat, reuclaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & dominici corporis sacramento munitus, hora à dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exhalauit.

CAPVT X.

Simile beneficium consecuti sunt duo pauperes Parisijs à beata Virgine Maria, sicut mihi retulit Lambertus monachus, qui eodem tempore ibidem dicit se studuisse. Cum enim collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante eius oratorium in paradiso, viro cuidam religioso, eiusdem hospitalis ministro, ipsa virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparere dignata est, dicens: Bone pater, vide vt diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt, & dæmones cum multa solitudine circumeunt quomodo eis noceat. Quod cum indicasset sacerdoti, & ille eos ad emundationem conscientiæ hortaretur semel, ac secundò, nec proficeret, tandem subjunxit: Miseri, ego noui vos esse in peccatis grauissimis, citoque moriemini, & nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, pœnis æternalibus cruciandi. Illi verò territi, &, quod credibilis est, precibus beatæ Dei genitricis Mariæ illuminati, peccata sua confessi sunt, moreque Christiano decedentes, dæmonibus luctum, & sanctis angelis gaudium fecerunt in cælo. APOLLONIVS: Valde lætificant ista. CÆSARIUS: Non solum peccatores fidem sine operibus habentes, per ipsam, vt probatum est, illuminantur, imò etiam apostatæ à fide, q̄ signum est maioris misericordiæ, per eam Christo recõciliantur. De hoc habes manifestè exemplum in distinctione secunda, cap. quadragesimo-secundo, de iuvene, qui iuxta Florentiam Christum abnegans, & diabolo se reddens, eius precibus peruenit ad indulgentiam. Simile legitur de Theophilo Alexandrino. APOLLONIVS: Quia iam sermo satis protractus est de beneficijs eius circa peccatores,

Etiã apostata à fide per Virgine reconciliantur Christo. Eustychia in eius vita tom. 1. Surij 4. Februar.

precor ut exemplis mihi ostendas, quātis & qualibet per eam iusti revelationibus consolentur. CÆSARIVS: Quam mirificè iustos sibi seruiētes sancta Dei genitrix virgo Maria consoletur, ex paucis, quę subijciam, cognoscere poteris exemplis.

CAPVT XI.

*B. Virgo
Maria
etiā in-
fios con-
solatur.*

CAusa extitit, ut quidam ex Abbatibus ordinis nostri pro negotio ordinis ad Henricum Imperatorem filium Frederici mitterentur, inter quos præcipuus videbatur tam sanctitate, quam dignitate, dominus Petrus monoculus Abbas Clarauallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta cap. 11. Et quia dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem pro se misit. Venientibus eis Spiram, cum in ecclesia beatae Dei genitricis semperq; Virginis Mariæ, cuius structura stupendę magnitudinis est, orassent, cunctis ocyus ab oratione surgentibus, & eiusdę ecclesię ædificia circuistrando considerantibus, iam dictus Petrus (cuius cogitatus & delectatio non fuit ædificijs corruptibilibus, sed in structura Ierusalem cęlestis) in oratione perseverauit. Tandem omnibus egressis, cum in porticu ecclesię & canonicis honorificè fuissent salutati, & cum instantia multa ad prandium inuitati, requisitum est a quodam Abbate, in cuius honorẽ ecclesiã esset consecrata. Respondentibus clericis in honorem Domine nostrę sanctę Mariæ, Abbas Clarauallis inconsideratę subjunxit: Et ego sciebã. Quod verbũ Prior Cistercij considerãs, tũc quidẽ tacuit, sed mox ut egressi sunt ciuitatẽ, eiusdem verbi recordatus, ait Abbati: Domine Abba, dicite mihi, vnde sciebatis Spirense monasteriũ in honorem domine nostrę fuisse consecratũ? Ille de verbo prolato dolens, respõdit: Visum est mihi bene dicere, ut tam mirificę structurę patrona foret mater Dei, & cęlorũ regina. Prior bene cognosces eius sanctitatem, & quia aliquid sibi in ecclesia reuelatũ fuisset ex responsione conjiciens, adjecit: Ego in hac vice vicem gero domini Abbatis Cisterciensis, in cuius auctoritate vobis præcipio, ut non mihi dicatis nisi veritatem.